

persuadere initio quædam, quæ peccati speciem non habent: his obtentis, leviora suadet peccata; tum denique in omnem turpitudinem projicit. Suadet delectationem in cogitationibus malis, hæitationem in uno fidei articulo; postea ad opus malum, ad ludum illicitum, ad usuram iniquissimam, ad hæresim inducit. Quare initio statim ei obsistendum, nec in minimis assentiendum. Denique adhibet S. Scripturæ testimonium, sed fraudulenter. Tribuit enim Christo custodiam angelorum, quam Scriptura allegata tribuit Dei servis. Deinde non citat omnia quæ in textu sunt; omittit enim illa verba: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Tacet etiam quod sequitur: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, quia in hoc ipse notatur.* Qua fraude etiam per ministros suos hæreticos circumvenit incautam plebem. Scripturam, Scripturam appellant, cum tamen sinistre intelligunt et torquent in suum sensum. *Sciunt enim factore suos, inquit Vinc. Lirinensis, I. contra hæreticum, capite XXXV. nulli fere cito esse placituros si nudi et simplices exhalentur: atque idcirco eos cælestis alloqui velut quodam odore aspergunt, etc.*

VI. Stultum se demonstrat. Primo, dum præcipitum suadet: *Mitte te deorsum.* Insanis, miser diabole; quis enim sanæ mentis de summo templi se præcipitet, cum per scalas descendere queat? Ostendit ergo hic præter mentem, diabolum se esse, qui cum de cælo præcipitatus sit, cupit etiam præcipitari alios. Deinde, ut hoc persuadeat, stultissime argumentatur, scriptum nimirum esse: *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te.* Hoc ipso enim quod angeli Dei custodiunt justos, præservare eos nituntur a lapsibus et præcipitiis, quidquid in contrarium suadeat cacodæmon. Unde S. Petrus Chrysologus jure dixit, serm. XI. *Miser cupis tentare? Sed nescis.* Quare nemo se hinc excusare velit, quod a malo dæmone in lapsum impulsus sit ejus lenociniis; quantum enim iste suadet lapsum, tantum angeli boni dissuadent. Si te ille præcipitare ad infernum vult, hi te evohere ad cælum volunt: si tibi ille mortem offerre, isti tibi vitam. Denique dum aves vult aucupari, baculo eas petit. Ait enim: *Si cadens adoraveris me.* Hoc loco enim ut advertit S. Irenæus, l. V. adversus hæresim, cap. XXII. confitetur, ipsum adorare esse cadere in peccatum, adeoque in mortem. Quis ergo nisi stultissimus sit, diabolo obsequatur, qui ea tantum suadet, quæ per ruinam omnium periculosissimam obtineri debent? Exhibuit se aliquando veterator iste S. Julianæ transfiguratum in angelum lucis, dicens Christum jubere, ut illa potius diis gentilium sacrificaret, quam in cruciatibus deficeret.

Obstupuit illa tali nuntio (quis enim non obstupesceret, rem tam stultam audiens?) mox divinitus inspirata manu illum apprehendens, vinculis constrictum verberibus affecit, et insidiatorem in insidiis deprehensum, confusum abegit, Surtom. I. Marulus, l. V. c. I. sane uti dæmones vix unquam in terra, nisi Æthiopsis aut simili apparent forma, ut agnosci queant: ita eorum tentationes plerumque stultitiam aliquam continent, ut ex ea deprehendi possint.

VII. Mendacem se ostendit, quia asserit regna mundi sua esse. *Tibi dabo, inquit, potestatem hanc universam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt et cui volo, do illa,* Luc. IV. Mentitur imprimis, inquit S. Irenæus, l. V. contr. hæresim. in eo quod dicit omnia regna mundi sibi tradita esse, nec non potestatem gubernandi ea et donandi cui vult; Domini enim est terra et plenitudo ejus. Diabolus nihil in mundo habet, quod suum appellare queat, unde nihil aliis donare potest. Mentitur rursus cum ait, se dare gloriam regnorum, divitias scilicet, delicias, honores, quia non habet nisi inopiam, dolores et ignominiam. Unde S. Cyprianus, tract. jejun. et tent. Christi ait: «Tu impie ac mendax, quid habes, quod dare possis? Tua est scabies, languentis tua sunt ulcera, hæc scalpis, hæc impurus ablingis, scabiem et putredinem et vermes dedisti Job, mortem ejus filiis, deperditionem ejus substantiæ; cæcitatem, surditatem, et torsiones ei, quem ingrederis; mortem et submersionem porcis, in quos tibi ingredi concessum fuit, etc.» Denique: *Mentitur, ait S. Chrysost. hom. V. op. imperf. quia nullatenus intendebat dare, quod promittebat.* Et certe uni non poterat dare omnia mundi regna, nisi aliis omnia tolleret; non videtur autem credibile, quod pro uno lucrando, vellet omnes autem alios servos suos amittere. Sed nimirum quia ab initio mendax fuit, et mendaciis deceptis primos nostros parentes, idem hic quoque egit. Unde merito irridendi sunt et ridebuntur in die judicii, qui a pauperrimo et mendacissimo diabolo, requirunt et expectant opes, honores, favores, sanitates, delicias, etc. intervntu magicæ artis necnon sui ipsorum devotione. Audiant enim quod Adam nimium credulus falsis dæmonis promissionibus audivit a Deo: *Adam ubi es? q. d. numquid ad regnum, ad scientiam, ad divinitatem, quam diabolus tibi promisit, pervenisti? Si Deus es, cur times? Si omnia seisc, cur fugis? etc.*

Quare, auditores, pessimi pictoris pessimas picturas, si quando nobis objiciuntur, continuo disperdamus, igne et aqua mergamus, ne per ipsas nos mergamur.

## CONCIO XI.

## MYSTERIA.

I. Quando Christus ivit in desertum? — II. A quo spiritu ductus? — III. Cur in desertum? — IV. Cur tentari voluit? — V. Cur in deserto tentatur? — VI. Cur in fine jejunii tentatus? — VII. Cur voluit jejunare? — VIII. Cur jejunare post baptismum? — IX. Cur quadraginta diebus? — X. Cur per quadraginta dies non esuriit? — XI. Cur ad extremum esuriit? — XII. Cur a dæmone se gestari passus? — XIII. Cur ad petitionem dæmonis signum non fecit?

## THEMA.

*Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Matth. IV.

Tres potissimum causæ videntur, cur hodierna dominica legatur hoc evangelium. Prima, quia Christi tentatio contigit circa quadragesimæ nostræ initium, quadragesima nimirum die post baptismum Christi, seu 15. februarii. Secunda, quia etiam ad initium quadragesimæ potissimum tentantur Christiani, alii circa jejunium, alii circa confessionem et communionem, alii circa alia. Unde monet Sapiens, Eccles. II. *Fili, accendens ad servitutem Dei, sta in timore et præpara ad tentationem animam tuam.* Ut ergo ad pugnam armemur, legitur nobis historia pugnae et victoriæ Christi contra dæmonem. Tertia, ut initio jejunii animemur ad suscipiendum id alacriter et prosequendum fortiter, dum proponitur nobis exemplum Christi ducis nostri. Ut autem milites excusare se a pugna nequeant, cum ducem sibi præeuntem vident: ita nec Christiani sine ignominia declinare jejunium queunt, dum Christi exemplum cogitant. Quoniam igitur hoc evangelium aptissimum est huic temporis, æquum est ut ipsum accuratius expendamus.

I. Quando Christus discessit in desertum ad jejunandum? Respondetur, immediate post baptismum susceptum, ut patet Matth. IV. ubi post baptismi descriptionem subdit: *Tunc Jesus ductus est, etc.* et Marci I. *Et continuo expulit eum Spiritus, etc.* Ut nimirum doceret nos per baptismum vocari ad prælium, et gratiam Spiritus sancti descendens super baptizatum (sicut in forma columbæ descendit super Christum) protinus exercendam esse in adulto. Non enim frustra armatur et accingitur miles, sed ut prælietur. Idem Christus cum esset Spiritu sancto plenus, ut ait Lucas, ductus est in desertum. Et nos in baptismo ad hoc ungemur velut athletæ ut pugnemus; militia est vita hominis christiani. Imo pro beneficio et gratia reputat miles strenuus, cum occasio præliandi ei offertur a duce aut

conceditur; idcirco et nobis ad pugnam anhelandum et festinandum, adeoque gaudendum cum apostolis, si pro nomine Jesu contumelias pati, vel strenue laborare nobis datur. Unde S. Chrysostomus, hom. XIII. operis imperf. ait: *Idcirco accepisti arma, non ut otieris, sed ut pugnes:* et hom. V. in Matth. ait: *Numquid miles signatur et oleo ungitur ut sedeat? Signati sumus in nomine Christi oleo uncti, etc.* Porro contra tres hostes nostros pugnare hic monemur: contra mundum, fugiendo eum et spernendo: contra carnem, jejunando: contra dæmonem, resistendo. Qui in hac militia se non exercet, frustra baptizatus est. Militum est hostes cedere et spolia reportare; Christiani est, vitia fugere, et in seipso necare, ac virtutes et merita parare.

II. A quo spiritu ductus est Jesus in desertum? Respondetur a bono. Ab illo enim ductus est, quo immediate ante plenus dicebatur, Luc. IV. Spiritu sancto videlicet. Unde ad differentiam hujus Spiritus, tentator vocatur diabolus: *Ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Ergo a Spiritu sancto ductus est ad jejunium, ut primo, doceret jejunium opus bonum esse, a Spiritu sancto suasum et præceptum; secundo, ductum Spiritus sancti sequi nos debere, non propriam voluntatem, ut in aliis actionibus, ita maxime in jejunio. Eustachius hæresiarcha jejunabat diebus dominicis contra Ecclesiæ ritum, similiter Manichæi: Aerius negabat statuta Ecclesiæ jejunia observanda, sed jejunandum cum quisque voluerit: hæretici etiam nostri non omnino abhorrent a jejunio, nolunt tamen jejunare ex præscripto Ecclesiæ, sed malunt libitu suo. Hi non ducuntur Spiritu sancto, qui Ecclesiam regit, sed suo et malo. Contra, viri boni duci se patiuntur et volunt ab Ecclesiæ spiritu cum Davide dicente: *Ut jumentum factus sum apud te;* ut salubrius et securius ac majori cum merito operentur: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei,* ait apostolus ad Rom. VIII. Jumenta aguntur et ducuntur ab homine, filii Dei a Spiritu sancto. Tertio, ut nos moneret omnia cum hilaritate et Spiritus sancti impulsu agere quæcumque agimus bona.

III. Cur in desertum ductus est? Respondetur, ut nos doceret longe ab hominum oculis et laude fugiendum, cum quid boni agere, orare, jejunare, eleemosynam dare (ut Christus, Matth. V. docet) volumus. Secundo, ut doceret optimum medium conservandi gratiam acceptam in sacramento, esse solitudinem, vel saltem mundi et pravæ societatis fugam adeoque recte facere monachos et eremitas, qui cellulis et montibus se includunt. Ut enim pictores et qui libros com-

ponunt, silentium amant, sic qui Deo accurate servire student. Unde Thomas de Kempis ait: *Quoties inter homines fui, toties minor homo redii.* Nummus in arcu rectus longe pulchrior manet, quam qui per vulgi manus transit. Tertio, ut doceret desertum et locum solitarium orationi et contemplationi optime convenire. Quarto, ut doceret viros spirituales et ecclesiasticos imprimis non familiares nimis esse debere sæcularibus, sed in recessu se continere. Unde Petrus Damiani cardinalis scribit in apologetico de contemptu sæculi, c. XXVI. « Pictura, si procul assistat, inhianter et cum aviditate prospicitur: si juxta sit, contemptibilis judicatur. Et spiritualis quisque carnalibus absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui. » Sic ille.

IV. Cur tentari voluit? Respondetur primo, ut nullus quantumcumque sanctus existimaret se securum et immunem a tentatione fore, proinde non indignetur aut murmuret, si tentatur; si enim ipse Dei Filius tentatus est, non mirum quod tententur homines. Secundo, ut tanto majorem fiduciam in ipsum haberemus tamquam adjutorem nostrum, qui et ipse tentationes degustavit. Unde ad Hebr. IV. ait apostolus: *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Decet belli duces prius fuisse gregarios milites, ut possint calamitates eorum credere, agnoscere, iisque compati et opem ferre. Tertio, ut doceret nos tentationes vincere, adeoque tentatoris fraudes eludere ac ridere: sicut bonus athleta vel lanista in arenam descendit et cum adversario pugnat; ut discipulos suos doceat, quæ arte, quibus ictibus ferire hostem possint. Si hanc artem vidisset et didicisset a Christo Eva, nequaquam succubisset, suadenti enim diabolo esum vitæ arboris, respondisset juxta doctrinam Christi: *Non in hac sola arbore vivit homo, sed in omnibus aliis quæ sunt in paradiso, etc.*

Quarto, ut dæmonem hoc duello vincens confunderet, qui olim gloriabatur de potentia atque astutia, et fortissimos quosque athletas triumphabat. *Exposuit se Christus,* inquit S. Cyprianus, de operibus cardinal. *tentandum diabolo, ut tentatoris confunderetur præsumpti.* Ductus vero est a Spiritu sancto certamen: *Ut nos videamus,* inquit Chrysostomus, hom. XIII. in Matth. *quia non sponte nos in tentationes oporteat insilire: sed si contacti fuerimus, viriliter repugnare.*

V. Cur in deserto tentatus est? Resp. primo, quia: *Tunc diabolus maxime aliquos aggreditur,* inquit Chrysost. hom. XIII. in Matth. *cum solos viderit atque ab aliis segregatos.* Unde infert: *Ma-*

*xime oportet frequenter nos aliis aggregari, ut non facile in diaboli captivum paremur: ita maxime et periculose tentantur, qui tentationes suas confessariis non manifestant: ex quo sæpe ad laqueum adiguntur, qui si aliis aperuissent suas tentationes, liberati fuissent.* Ideo dæmon Evam solam et absente viro adortus est tentatione: non tam facile aut forte nunquam eam victurus, si præsentem viro id fecisset. *Frater enim, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma,* ait Sapiens, Proverb. XVIII. Hinc e monasteriis olim non dimittebantur ad eremum, nisi perfectissimi viri et instructissimi ad pugnam. Secundo, ut ostenderet diabolus tunc maxime homini invidere insidiarique, quando is ad meliora tendit. Sic Holophernes ad Judith dixit: *Ego nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosori regi: populus autem tuus, si non contempsisset me, non allevassem lanceam meam super eum,* Judith. XI. Idem agit dæmon quod canis; domesticos non allatrat, sed peregrinos et præsertim eos qui baculos aut arma gerunt, a quibus sibi metuit. Unde quidam sanctus in vitis patrum legitur vidisse in uno monasterio innumeros dæmones muscarum instar undique circumvolantes: in civitate vero unicum eumque otiosum satis, portæ insidentem; quod hic ejus voluntas facile observaretur, non ibi. In spec. exempl. v. dæmon.

VI. Cur in fine jejunii, non initio tentari voluit? Resp. primo, ut doceret prius nos per jejunium et similia opera armari ad pugnam debere, quemadmodum et Ecclesia vult nos per præviam quadragesimam munire contra dæmonem, superandum in pœnitentia. Unde Tertull. I. ad martyres ait: « Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis et substrictis, ubi omnis duritia, imbonitas et insuavitas constitit. » Sic ille. Multo magis hoc faciendum in militia spirituali; ut nimirum caro prius edometur et debilitetur, ne et ipsa nobis hostis fiat, hostemque nostrum dæmonem juvet. Unde valde decipiuntur, qui existimant, se crapula, deliciis et voluptatibus victoriam de illo reportaturos. *Contra ditiora dæmonia* (ait idem Tertull. I. contra Psychicos de jejunio) *jejuniis præliandum esse docuit.* Secundo, quia tunc primum Christus esuriit; diabolus ergo hinc audaciam sumpsit Christum aggrediendi. Sic etiam homo in afflictione est, cum spoliatur rebus charis, bonis, uxore, liberis, vita, tunc captat occasionem dæmon hominem tentandi acrius, tamquam unde adjutus. Hinc fures, latrones, veneficæ meretrices occasione paupertatis. Item quando homo in optimo exercitio est, tunc maxime infestatur,

quia tunc maximam vim infert dæmoni. Unde Chrysostomus, homil. XIII. in Matth. ait: « Diabolus Christum non jejunantem tentat, sed esurientem, ut scilicet discas, quam sit bonum grande jejunium, et quia hæc adversus diabolum arma sint maxima. »

VII. Cur voluit jejunare? Respondet Sanctus Augustinus, sermon. LXXVII. de tempore: « Hoc, inquit, fecit, causa salutis nostræ, ut rem utilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret; ut eisdem vestigiis quibus ad fidem gradimur, ad abstinendam gradiamur. » Et mox: « Bonus enim medicus poculum quod ægro daturus est, ipse prius gustat, ut peritiam artis suæ ante ipse in se demonstret; ut experimentum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute. » Hæc ille. Secundo, ut apponeret remedium peccato primi parentis, qui gula victas jejunium fregit et per hoc e paradiso se et nos ejecit. Unde S. Chrys. hom. XIII. in Matth. ait: « Dominus jejunavit, non quia hoc indigeret, sed ut nos doceret, quibus peccata ante baptismum dominatio ventris intulerat. Ut enim si aliquis ægrotum quem ad sanitatem reduxit, jubeat illa non facere, ex quibus morbus ille contigerat, ita etiam post jejunium contra edacitatis vitium induxit. Nam et Adam de paradiso intemperantia ventris ejecit. Similiter August. ser. LXXVII. de tempore: « Hoc egit Salvator, inquit, ut eisdem vestigiis quibus admissa fuerant delicta, purgentur: hoc est, quia homo manducando deliquerat, corrigat abstinendo, etc. » nimirum hic optimus modus erat subjiciendi nobis iterum carnem et passiones, quæ per peccatum rebelles nobis factæ sunt.

VIII. Cur jejunare post baptismum voluit? Respondet S. Chrysostomus, hom. XIII. *Quod post baptismum non deliciis ac temulentia, non mensæ epulis onustæ, sed jejunio animum debemus intendere.* Viderint itaque quam vane gloriantur nomine christiano, qui jejunia detrectant, excusationes prætendunt, etc. Certe nisi Christianis necessaria forent jejunia, non fecisset tale præceptum Ecclesia. Novum ergo cælum fabricari debet, qui jejunare renuunt.

IX. Cur quadragesima diebus? Resp. primo, quia hic numerus est numerus pœnitentiæ et afflictionis quam partim pro nobis exsolvere, partim nos docere voluit Christus, ut ostendit Hieronymus, lib. IX. comment. in Ezechiel. XXIX. Ubi inter alia: « Pluviæ quoque diluvii, inquit, quadragesima diebus inferunt orbi naufragium: justum enim erat, ut qui per quatuor elementa mundi, quibus omnia constare dicuntur, dum ea diligit et fovet, Deum offenderat, in ipso nu-

mero puniretur. » Ut ergo diluvium quadragesima dierum mundum purgavit, sic Christus jejunio quadragesima dierum peccata nostra punivit et lavit. Albinus, in Gen. inter. CXXVII. « Quadragesimarius, inquit, numerus tribulationem pœnitentis ostendit. Quod vero Noe post quadragesima dies fenestram arce aperuit, significat jejunio cælum reserari. Ideo Moyses, Elias et ipse Salvator quadragesimo numero jejunia confecerunt, tamquam tribus temporibus necessaria, ante legem, sub lege, sub gratia. » Sic ille. Secundo, ut numerum hunc jejunii jam a Moyse et Elia observatum, sanctificaret et Christianis tamquam sanctum et saluberrimum relinqueret. Sicut enim Christus, cum Jordanis aquas in suo baptismo tetigit, eas sanctas et salubres reddidit, eisque virtutem ad generandos Dei filios contulit: ita quadragesimali suo jejunio sanctificasse nostram quadragesimam censendus est. Aqua si per amygdala contrita coletur, amygdalinum saporem induit: ita quadragesima a Christo sanctificata induit sanctitatem. Denique, ut heroico illo jejunio memor etiam humilitatis esset, dum sequi exemplum servorum suorum Moysis et Eliæ voluit, nec ulterius jejunando progredi, cum facile potuisset ut ita nos doceret non jejunandum ad vanam gloriam, ne meritum perdamus. Docet et rationabiliter jejunandum, ita ut accomodemus nos consuetudini Ecclesiæ et ritibus nostris, etc. quod cum non fecisset abbas Joannes, sed exhausto corpore biduo nil comedisset, accedenti postmodum ad refectio-nem, obviam venit diabolus in forma tetri Æthiopsis, atque ad ejus genua provolutus: *Indulge mihi,* inquit, *quia ego tibi hunc laborem indixi.* Refert Cassianus, collat. I. c. XXI.

X. An et cur per quadragesima dies non esuriit? Resp. non esuriisse, nec inde corpore debilitatum esse; quia Matthæus et Lucas asserunt post jejunium primum esurisse. Item quia alioquin dæmon eum citius tentasset. Causa est primo, ut Deum simul et hominem se ostenderet: Deum quando per tot dies non esuriit; hominem, quando ad extremum esuriit. Secundo, ut doceret jejunii perfectionem non tam in eo consistere, ut corpus affligatur et maceretur, (quamquam et hoc salutare) quam in eo, ut per id virtutem temperantiæ discamus, adeoque apti fiamus ad contemplationem et cætera virtutum exercitia Deique servitia, atque ita angelis quodammodo similes efficiamur, et S. Bernardo, qui ob amorem contemplationis et servitii divini adeo non afficiebatur cibo et potu, ut ad refectorium quasi ad pœnam iret. Tertio, ut formam cœlestis vitæ nobis exhiberet: in cælo enim

beati similiter neque esurient, neque sitient.

XI. Cur ad extremum esurire voluit? Resp. primo, ut diabolo occasionem præberet se tentandi, dum imbecillitatem humanam fami obnoxiam præ se tulit, ut sic ad pugnam eum proliceret, et gloriose vinceret. Secundo, ut mone-ret nos jejunia non debere fugere ob inedia-m secuturam. Qui enim ex præcedenti ingluvie pos-tero die nihil esuriunt, tanetsi Ecclesiæ præcep-tum non transgrediuntur, nihil tamen meriti acquirunt, quia neque ex motivo temperantiæ, neque cum afflictione aliqua jejunant.

XII. Cur Christus a diabolo se gestari passus est? Resp. primo, ut non scandalizemur quod etiam crucifigi voluit: et si etiam nunc a malis sacerdotibus gestetur, offeratur, et a peccatori-bus etiam in communione sumatur: a magis item et sagis indigne sæpe tractetur. Unde S. Gregorius, hom. XVI. in evang. ait: *Quid mirum si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam a membris illius crucifigi?* Secundo, ne per-turbemur, si quando a tentatione inflammmur, velut si motu iracundiæ aut carnis rebellione vel cogitatione mala abripimur et statuimur ante res illicitas, imagines turpes, etc. modo non assen-tiamur per delectationem vel consensum, sed constanter resistamus; primi enim motus peccata in se non sunt. Passus est Christus duci a dæmone corpus suum, sed non seduci voluntatem: sic licet a pravus motibus corpus occupetur et feratur caro quo tu non vis, nihil damnationis tibi est, modo non assentiaris sed fortiter repugnes. Concupiscentia fomes est: si vel una scintilla voluntatis in eum cadat, ignis peccati exardescet. Quod si igitur hoc vel alio tempore diabolus forte quem abducat in tentationem gulæ et in-temperantiæ, suadens ebrietatem vel jejunii trans-gressionem: Dic ut piscis iste caro, quadrage-sima bacchanalia fiant: illico tu oppone: Non in sola carne vel ebrietate vivit homo, sed etiam in pisce, temperantia et jejunio: si sudeat ut deorsum te mittas in grave aliquod peccatum, confessionem mutiles in eaque scelus aliquod reticeas et ita communices, responde: *Non ten-tabis Dominum Deum: si suadeat ut servitium Deo debitum et animæ opportunum his diebus ipsi impendas, ipsius voluntatem facias, etc. re-plica tu: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Jam si angeli sancti viderint te sic pu-gnantem, tandem ad te accedentes ministrabunt tibi, solatium et auxilium ferentes, tandemque velut victorem in manibus suis gestabunt ad triumphos cælestes.

XIII. Quare Christus ad diaboli petitionem nullum facere miraculum voluit? Respon. primo,

quia quaecumque fecisset, nullo modo prodesse poterat ad diaboli salutem. Tam proprie et adæ-quate congruit Christo nomen Jesu, id est Sal-vatoris, ut nihil unquam fecerit, quod non pro-moveret alicujus salutem. Plenariam quidem potestatem quidvis faciendi accepit a Patre suo: ea tamen nullatenus, nisi ad hominum sa-lutem uti voluit, ut vel ex eo patet, quod fecit et dixit Lucæ IX. cum noluit sua gratia perire Samaritanos, dicens: *Nescitis cujus spiritu estis: Filius hominis non venit perdere animas, sed salvare.* Unde sapienter Psal. XXVIII. vocatur *dilectus quemadmodum filius unicornium*, quia licet summa potentia præditus sit, ea tamen non nisi salutem hominum quæsit, quomodo unicornis seu mo-noceros robustissimo suo cornu venena dispel-lit et aquas a serpentibus infectas sanat, ut po-tari a bestiis queant. Christi igitur exemplo diri-gamus omnia opera nostra ad salutem nostram vel alienam, nec id omne justum æstimemus, quod possumus; dicamus cum apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Secundo, quia diabolus perpetuus hostis est, nulla prorsus gra-tia dignus. *Fas non erat*, inquit S. Chrysostomus, hom. V. ex variis in Matth. *Dominum voluntati diabolicæ obtemperare, quam profitebatur inimicam.* Eademque ex professo expendit, hom. XXIX. ad pop. demonstrans, quod quamvis non essent paratæ pœnæ iis, qui diabolo obsequuntur, vel ex eo solum deberemus ei petita negare, quod est hostis noster crudelis, perditionem nostram omnibus modis quærens. Convenerunt aliquando (scribit Hier. Bapt. de la Nuza, in tract. evang. tract. VIII. § XXXVI. ex S. Chrysostomo, hom. XXIX. ad pop.) aliqui sancti monachi, inter se de rebus spiritualibus conferentes, eaque apud illos interposita est conversatio, quodnam efficax es-set remedium ad revincendas omnes diaboli ten-tationes. Quidam dicebat, quod se mortis mu-niebat memoria, et considerabat, quod cito erant transitura omnia, etc. alter, se pœnarum infer-nalium consideratione roborari fatebatur; ter-tius, judicii extremi metum et terrorem oppo-nendum tentationibus inimici, tamquam reme-dium validum credebat; sicque singuli, quod in animo erat, exponebant. Concluserunt tamen con-versationem ultimus, dicens: Hoc sibi maximum remedium, cum tentationibus urgebatur, consi-derare; quisnam esset, qui eum excitabat, qui cum eo loquebatur petens et suadens illicita, et hoc ipso quod expendebat hunc dæmonem esse inimicum, impium, crudelem, vilem, perpetuæ damnationis sententia condemnatum, ejus pel-lebat tentationes, dicens: Numquid ego, qui a Deo creatus sum ad gloriam possidendam,

et ab ipso adoptatus in filium huic vili man-ceptio, omnibus bonis privato, omni iniquitate repleto, obsequi debeo? Ex quibus progreditur Chrysostomus, ad reprehendendam homi-num nequitiam inurbanam et inverecundam, quod Deo loquenti, petenti, roganti aliquid a no-bis fieri, non obtemperamus, qui est rex, domi-nus, pater, amator nostri, ut vitam pro nobis vere posuerit, et sanguinem pro nobis dederit; cui vel hoc solo nomine deberemus obtemperare: et dæmoni inimico, creduli acerboque hosti, qui nos genusque nostrum perdidit, et perpetuo id

ipsum procurat, deformi, vili et omnibus malis repleto, vel solo verbo excitanti, statim obedi-mus, vel ut hinc solum nos æterna damnatione dignos probaturus sit in Dei judicio ipsemet ini-micus: quem Cyprianus considerat, tunc procla-maturum coram judice contra nos: Ego pro istis, quos mecum vides, o judex æquissime, nec ala-pas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi; sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradysum revoco, et tamen mihi loquenti crediderunt, excitanti consenserunt, roganti morem gesserunt, etc.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

AD JEJUNANDUM STIMULI.

I. Non est tam dura lex jejunii, uti quibusdam apparet. — II. Jejunii lex valde utilis. — III. Jejunii lex summæ auctoritatis.

### THEMA.

*Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esurivit.* Matth. IV.

Non est inutilis nec curiosa quæstio, quidnam egerit Christus in deserto per dies quadraginta. Ad hoc vero respondet S. Marcus, cap. I. *Erat cum bestiis.* Sed quid cum illis egit? Dicitur Dei sapientia seu Filius, Prov. VIII. *ludere in creaturis suis creandis et conservandis omni tempore. Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Videtur ergo Christus subinde in deserto lusisse etiam et de-lectasse se cum bestiis, creaturis suis. Jam vero: *Si gloria magna est sequi Dominum*, ut ait Eccles. c. XXIII. ludamus et nos cum bestiis per hanc quadagesimam. Quænam vero illæ? Jejunium, veteris hominis renovatio, crebra confessio, fre-quens communio. Bestiæ hæ videntur forsitan aliquibus, et horrorem incutient; sed nequa-quam timendæ sunt: ludere cum iis possumus, quemadmodum et Christus ludere cum feris quasi cum catellis poterat in deserto. Et quia quadruplex bestiarum genus est, aliæ natatiles, aliæ reptiles, aliæ quadrupedes, aliæ volatiles, e singulis unam quasi regem aliarum ad lusum provocemus. Aggrediamur primo piscem. Ex historia Tobie, c. VI. scimus Tobiam juniorem missum peregrinatum cum angelo, primo die itineris exisse ad flumen Tigris, ut lavaret pedes.

Ibi mox immanis piscis pronatat, et rictum suum aperit quasi juvenem devoraturus. Exclamat ergo Tobias: *Domine invadit me.* Sed angelus animose jubet apprehendere piscem atque ex-trahere. Forsan etiam piscis hic aliquos terrebit, qui inchoata jejunia timent, ne ab eo devoran-tur: sed non est quod metuant. Nam:

I. Piscis hic tam grandis et robustus non est, ut nos devorare queat. Fluviatilis solum est, non marinus, adeoque non deglutiet nos. Quare id unum necesse, ut animose apprehendatur juxta adhortationem Raphaelis: *Apprehende bran-chiam ejus et trahere eum ad te.* Quod ubi Tobias fecit, piscis mox palpitare cepit ante pedes ejus. Hunc in modum magno animo amplectendum est je-junium quasi in branchia una, et mox apparebit tam asperum non esse, quam fingitur aut puta-tur. Permittitur in primis una in die refectio, eaque paulo liberalior: vespere item conservan-dæ valetudini boli aliquid: non prohibetur po-tus, excipiuntur dies dominici, eximuntur qui ob certas causas, jejunium sustinere nequeunt: quales sunt pueri, senes, pauperes, laboratores, iter agentes, prægnantes, ægri, nemo obligatur cum gravi suo damno.

Quam multi toto anno nunquam cenant ex mera electione, vel ob sanitatem, vel ob fasti-dium? Et quam multi olim gentiles semel tan-tum in die saturi fiebant? Antiqui etiam Chris-tiani multo quam nos rigidius jejunarunt. Nos nihil omnino poterimus? Sed murmurabit sto-machus, concidet vultus, deficient vires, et in-firmabor, inquis. Respondeo tibi, quod Daniel respondit principi eunuchorum: *Tentans obscere servos suos diebus decem et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum*, Dan. I. Probe